

DISSERTATIO  
INAUGURALIS PRACTICO-MEDICA  
DE  
**FEBRI PUERPERALI**

QUAM  
SENSU ET AUCTORITATE  
MAGNIFICI AC SPECTABILIS

DOMINI  
PRAESIDIS ET DIRECTORIS  
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS D. DECANI

ET NON  
CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM  
D. D. PROFESSORUM

PRO  
**DOCTORIS LAUREA**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS  
IN ALMA AC CELEBERRIMA SCIENTIARUM UNIVERSITATE

**HUNGARICA**

PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

**J. Bauer,**  
Bohemus.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis Palatio  
die mensis Decembris 1834.

---

**PESTINI,**  
TYPIS JOSEPHI BEIMEL.

**Ins Innere der Natur dringt kein erschaffner Geist.  
Nur allzuviel, wenn sie die äussere Schaale weist.**

**UMS** Haller.

V I R O

PERILLUSTRI CELEBERRIMO

MAGNIFICO DOMINO

**LUDOVICO A SCHEDIUS,**

AA. LL. ET PHILOSOPHIAE DOCTORI, S. C. ET R. A. M. CONSILIARIO, RECTORI UNIVERSITAT. HUNG. MAGNIF., AESTHETICAE ET ELEGANT. ARTIUM PROF. PUBL. ORD., COMPLURIUM COM. TAB. JUD. ASSESSORI, ERUDIT. SOCIET. HUNG. ET CAES. RUSS. CHARCOV. HONORARIO, SOCIET. AUTEM R. SCIENT. GÖTTING. CORRESP. MEMBR., ET LATINAE JENENSIS SOCIO, FACULT. PHILOSOPH. SENIORI etc. etc.

**V I R O**  
**SCIENTIA, MERITIS, HUMANITATE,**  
**I N S I G N I**  
**P R I N C I P I, C I V I B U S**  
**C A R O**  
**I N**  
**PROFUNDÆ VENERATIONIS**  
**TESTIMONIUM**  
**PIA CUM DEVOTIONE**  
**HASCE PAGELLAS**

**SACRAT**

**gratissimus**  
*Auctor.*

---

## I n t r o d u c t i o.

---

**F**ebri puerperalis (peritonitis puerperalis, *Kindbettfieber*, *Gyermekágybeli hideglelés*, *fièvre des accouchées*, *puerperal fever*) quæ objectum litis inter celeberrimos auctores ab antiquissimis temporibus, ad nostrum usque aevum constituebat, necdum hodie relate ad essentiam determinata est, cujus dissensionis rationem quaerentes,prehendimus, omnem febrim puerperam agredientem, nomine febris puerperalis medicis venisse; febrim autem hanc diversissimae indolis esse posse, vel ex eo patet, quod magna adsit in foemina tempore puerperii dispositio, in morbos generis omnis praecipue vero, acutos, inflammatorios.

Febrim puerperalem genuinam in statu puerperii esse fundatam asserunt recentiones plures, ut *Carus*, *Richter*; requiritur itaque, ut statum hunc peculiarem in quantum fieri potest, exactius noseamus. Tempore puerperii veram plethoram abdominalem locum habere, omnis concedet, qui perpenderit, tempore graviditatis majorem humorum affluxum pro foetu formando ad cavum abdominis locum habere, qui in memoriam revocaverit, per prementem uterum vasa abdominalia, praecipue peritonei tonum amittere, humoresque in iisdem partibus majori copia esse accumulatos.

Partu peracto natura plethoram hanc sufferre conans, triplicem sibi seligit viam, haemorrhagiam, lochiorum et lactis se- et excretionem. Si ob quamcunque demum causam humores isti congesti in abdomine retineantur, non raro fit, ut viscera abdominis irritantes, veram phlogosim causent.

Status inflammatorius essentiam quidem febris puerperalis efficere videtur, ideo ad inflammationes viscerum abdominalium spectaret, a quibus tamen differt, quod

1<sup>mo</sup> Non manifeste unum idemque viscusprehendat, sed mox unum mox alterum afficiat.

2<sup>do</sup> Quod sedem suam nequaquam in systemate arterioso figat, sed inflammationis lymphaticae adinstar superficialiter semet extendat.

Inter tot morbi definitiones ad essentiam illius maxime loquitur, illa celeberrimi mei moderatoris consiliarii a Benne, \*) quam ideo hic citare mihi sit licitum. „Febris puerperalis dicitur morbus specificus in peculiari ac proprio statu puerperii fundatus, nexus cum inflammatione uteri peritonei, et secretionemorbosa liquidi puriformis lacti similis, in cavo peritonei, thoracis vel cranii, aut in textu celluloso, infra integumenta communia.

### D i a g n o s i s.

Die a partu 2<sup>da</sup> vel 3<sup>ia</sup> prodromis haud praegressis, symptomata morbi semet sistunt. Nonnunquam abortum febris puerperalis excipit, cum causae illum producentes, non raro et ipsam febrim puerperalem provocare valeant. Incipit morbus cum dolore in aliqua abdominis parte, ut plurimum in regione umbilicali, initio vago dein vero fixo, cui mox se associat febris, quae incipit cum horripilatione, frigore diversae intensitatis et durationis, ex qua ad inflammationis extensionem concludi posse Richter asserit. Sequitur calor, sub quo facies rubet (passione in abdomine praevalente, aut symptomatibus nervosis mature saevientibus collabitur), oculi splendent, cutis est sicca, saepe miliaribus obsita, sudor partialis in collo, fronte nihil allevians. Pulsus frequens, sub morbi exordio durus plenus, sub ulteriori illius decursu evadit inaequalis, irregularis. Sitis est intensa, appetitus prostratus, nonnunquam adest vomituritio, non raro vomitus biliosus. Lingua initio pura, tardius muco nigricante obvestitur, saepe evadit fissa. Sapor est fatuus, alvus obstipa non raro diarrhoica, serosa, urina sub doloribus evacuata parca, flamma, symptomatibus nervosis praevalentibus, limpida.

Cocnaesthesia est alienata, cephalalgia, se- et excretio lochiorum et lactis abnormis.

---

\*) Vide Elementa medicinae practicae Tomus II. §. 138.

Praeter haec symptomata universalia adsunt etiam topica, quae pro diversa sede inflammationis variant. Dum nimirum uterus vel peritoneum affecti sunt, aegra in regione hypogastrica accusat dolores, subinde mitiores obtusos, longe frequentius, acutos scindentes, urentes. Dolores hi distingui debent a doloribus partus posthumis, post partum statim semet insinuantibus, contractionibus uteri productis, sine febris comparentibus, non continuis, per Vices tantum recurrentibus.

Initio dolores restringuntur ad regionem minorem, quae ut plurimum calidior, attactum horret, serius extenduntur, regiones illiacas, femorales, reliquumque abdomen occupant, motumque omnem puerperae impediunt. Se- et excretio lactis et lochiorum vel imminuuntur, vel plane supprimuntur. Mammae sub morbi initio fiunt durae, dolentes, sub ulteriori decursu flaccidae. Non raro (ubi nimirum inflammatio superficialis in uteri parte externa locum habet) lochia fluunt quidem debita quantitate, sed relate ad qualitatem mutantur; fiunt nimirum serosa, puriformia, loturam carnis referentia, non raro acria, partes vicinas arrodentia, deprehenduntur. Abdomen saepe primis diebus tumens, tardius meteorice extenditur, moxque fluctuatio liquidi percipitur. Haec est imago febris puerperalis, in qua eminens affectio in peritoneo vel utero locum habet.

Complicatam febrim puerp. cum Pleuritide, respiratio citata, decubitus ad latus affectum non concessus, inspiratione profundiori dolor pungens, complicatam vero cum Carditide pulsuum abnormitas summa, sensus pressionis infra sternum testantur.

Quodsi f. p. Diaphragmitidi nexa est, respiratio profundior non concessa, singultus, dolor intensus, intolerabilis cinguli instar truncum constringens observantur. Majori premitur difficultate diagnosi f. p. complicatae cum Meningitide, cum symptomata nervosa, et febrim nervosam indicare possint: nam f. p. cum inflammatione aliorum organorum uti: uteri, peritonei ob constitutionem aegrae individualem, ob genium epidemiae regnantis in nervosam abit, quo in casu symptomata nervosa in conspectum veniunt uti: deliria, susurrus aurium, capitis temulentia, illusiones sensuum, floccorum captatio, tendinum subsultus, viriumque langvor summus.

Typum f. p. vel intermittentem habet, vel remittentem. Typus intermittens, plerumque sub initio, remittens sub ulteriori morbi decursu observatur. Secunda exacerbatio plerumque inchoat, quin frigus praecesserit. Sub tertia exacerbatione symptomata nervosa vehementissima saeviunt, cutis sicca ardet, respiratio fit brevis, halitus calidus, abdomen nullum fert attactum, pulsus vix numerandus parvus duriusculus. Hac exacerbatione morbus consuetim judicatur; quodsi vero in diem 7-mam semet protrahat, tunc utplurimum mitioris est indolis. Raro durat per 14. 21. dies; si recidivus evadit, utplurimum aegram enecat, vel vero in casu feliciori per longum exurit tempus.

Phlegmasiam albam puerperarum aliqui pro modificatione f. p. habent, quam vero celeberrimus Siebold in suo opere tanquam morbum distinctum specificum pertractat, et pro sua sententia, morbum illum a febre puerperali diversum esse, sequentia adducit argumenta. Distinguitur f. p. a Phlegmasia alba:

1.<sup>mo</sup> Relate ad tempus originis f. p. utplurimum 2.<sup>da</sup> vel 3.<sup>ia</sup> die, Phlegmasia alba 12.<sup>ma</sup> 14.<sup>ta</sup> oritur.

2.<sup>do</sup> Relate ad individuum. Phlegmasia alba etiam in viris, puellis, foeminis extra et sub graviditate locum habere potest.

Nihilominus cum f. p. etiam 12.<sup>ma</sup> 14.<sup>ta</sup> die inchoare possit, cum casus Phlegmasiae albae in viris et in foeminis extra puerperii tempus ad rarissimos spectet — cum isti duo morbi relate ad symptomata essentialia inter se conveniant, et tantum relate ad organon affectum, uti infra patebit, a se discrepent; hinc merito Phlegmasia alba pro modificata febre puerperali habetur, quae ab illa eo tantum differt, quod:

1.<sup>mo</sup> Dolor se manifestet in extremitate, qui in regione hypogastrica, vel inguinali inchoat in illis scilicet locis, ubi glandulae lymphaticae adsunt copiosae.

2.<sup>do</sup> Quod pulsus sit quidem frequens; sed mollis; quod affectionem in systemate lymphatico magis, quam in arterioso praevalere monstrat.

---

\*) Handbuch zur Erkenntniß und Heilung der Frauen-Krankheiten.



3<sup>io</sup> Quod symptomata nervosa magis sint manifesta reliquis symptomatibus praecellentia.

Essentia Phlegmasiae albae in inflammatione consistit, sed de sede illius inter se non conveniunt auctores; ast si consideremus, dolorem in regione inguinali vel axillari oriri (illo scilicet loco, ubi glandulae lymphaticae adsunt copiosae), si symptomatum nervosorum praevaletiam respiciamus, si tumorem pallidum rubore destitutum spectemus, si experiamur individua laxa temperamenti sic dicti phlegmatici in hunc morbum quammaxime inclinare, si tandem pulsum rationem habeamus: cum summa probabilitate medica asserere possumus, sedem inflammationis in vasis ac glandulis lymphaticis, graviditate et partu praegresso irritatis, fors etiam laesis, quaerendam esse. Quae omnia si vera sint, facile nobis explicant exiguam differentiam inter phaenomena f. p.; illiusque modificationis Phlegmasiae albae, simulque inde perspicere possumus: quomodo in viris etiam et foeminis extra puerperium status morbosus, Phlegmasiam albam mentiens, occurrere possit, qui in mera inflammatione systematis lymphatici rationem sui agnoscit.

Cum f. p. illiusque modificatio Phlegmasia alba cum aliis morbis facile confundi posset, cognitio differentiarum inter hos morbos locum habentium superflua vix erit. Differt vero f. p.

1<sup>mo</sup> A Peritonitide, quaecum magnam similitudinem habet, quod in febris puerperali febris praecedat, quae in Peritonitide affectionem topicam, ut symptomatice sequitur. In febris puerperali aegrae debilitatem majorem, ac anxietatem exhibent, quae in Peritonitide, in qua, pulsus magis energicus ac durus est, tali in gradu desideratur. Distinguitur f. p.

2<sup>do</sup> A febris lactea, vehementia symptomatum. Febris enim lactea symptomata exhibet mitissima, ubi e contra in f. p. dolor sat intensus, virium collapsus nunquam summus, deprehenditur. Praeterea in febris lactea sensus titillationis percipitur in corpore toto, qui in f. p. non obtinet. Discernitur tandem.

3<sup>io</sup> A febris miliari, non raro cum magna anxietate nexa eo, quod febris miliaris tardius semet insinuet, quod affectio topica desit, ac quod miliaribus comparentibus (quod ut plurimum die 7<sup>ma</sup> locum habet) febris si-

leat. In f. p. febris est intensior tussis, et sensus punctorius in cuti febrili miliari ut plurimum juncti, absunt. Quomodo a doloribus post partum semet insinuantibus distinguatur debeat, in Diagnostici jam dictum est.

Phlegmasia alba facile confundi potest:

1<sup>mo</sup> Cum tumore oedematoso, qui ab illa eo distinguitur, quod a malleolis inchoans sursum ascendat, contrarium obtinet in Phlegmasia alba: porro quod multo sit frigidior, pastaceus, quod digito pressus foveam relinquit, ubi e contra Phlegmasia alba post pressionem cum digito nullum remanet vestigium.

2<sup>do</sup> Cum Pneumatosi hysterica, quae a Phlegmasia alba eo differt, quod individua solum hysterica aggrediat, quod nullum decursum constantem habeat, repente veniens eo modo dispareat, quodque semper alia symptomata hysterica coexistent. Cum Emphysemate, Erysipelate, Induratione textus cellulosi non tam facile confundi potest.

## E x i t u s

Febris puerp. quintuplex est; vel enim abit:

1<sup>mo</sup> In resolutionem, casus rarus, qui si obtinet crises contingunt, per lactis secretionem uberiorem, per lochia revertentia, large fluentia, per sudorem, diarrhoeam, per vomitum, imo celeb. Puzzo crism per salivationem se observasse refert; vel

2<sup>do</sup> In exsudationem lymphae coagulabilis, et quidem raro in aegrae salutem; cum arti raro succedat exsudatum eliminare, quod ut plurimum in cavo abdominis remanens novis inflammationibus, concretionibus, disorganisationibus diversis ansam dat; aut

3<sup>io</sup> In gangraenam, in quam ut plurimum illa f. p. abit, quae vehementi inflammatione stipata est, ac illa, quae in nervosam et putridam terminatur; vel

4<sup>to</sup> In morbos posthumos, uti: Tabem puerperalem, Ascitem, Hydropem ovarii, Inflammationes chronicas, Suppurationem diversorum organorum uti: hepatis, pulmonum; aut

5<sup>to</sup> In mortem vel immediate ex stadio inflammationis, vel vero mediante aliquo exitu ut: exsudationis.

## Sectio cadaveris.

Cum in plurimis casibus affectio organorum abdominalium adest, ideo etiam vestigia vel producta inflammationis in visceribus abdominis deprehendimus. Lympha exsudata nonnunquam ad 20 libr. invenitur, cujus partes constituentes, secundum celeb. Kastner et Jaquin, mucus, gelatina, albumen, materia fibrosa, Kali tartaricum, muriaticum, phosphoricum cum pauxilo ferro efficiunt. In superficie omenti, intestinorum et peritonei lympha pure remixta adest, cujus ope organa haec varia ratione inter se concreta sunt. In regione ovariorum peritoneum vestigia inflammationis, vel plane gangraenae exhibet. Substantia uteri nonnunquam est in statu normali, in pluribus vero casibus signa putredinis praecipue in superficie interna deprehenduntur. In casibus nonnullis exsudatum et in saccis pleurae aderat. In cavo cranii, nisi aegra delirasset, aut signa soporis exhibuisset, vix aliqua videtur mutatio.

## A e t i o l o g i a.

Dispositionem in hunc morbum jam in statu puerperii fundatam esse, e definitione data patet; magis tamen in illum inclinant primiparae, erethisticae, cachecticae, quamvis ut in epidemiis observatur, robustissimae etiam foeminae non raro enecentur. Constitutio aëris phlogosi favens dispositionem vel generat, vel adminus auget; imo contagium non raro morbo generando ansam dat.

Causae excitantes in plurimis casibus sunt: refrigerium, animi pathemata, vitia diaetetica, purgantia incongrue adhibita. Huc spectant praeterea omnes illae potentiae nocentes, quae in uterum immediate agunt, uti: partus difficilis, protractus, laesiones illius per obstetricationem rudem, violentam placentae avulsionem, et frustra hujus in utero relicta. Suppressio, retentio lochiorum ac lactis tam causam, quam effectum illius constituere possunt.

Relate ad causam proximam diversae, diversorum auctorum sunt sententiae:

1<sup>mo</sup> Retentio vel suppressio lochiorum ac lactis, hanc asserunt: Hippocrates, Avicena, Sydenham.

2<sup>do</sup> Inflammationem erysipelaceam omnium viscerum abdominalium asserit de la Roche.

3<sup>io</sup> Sordes mucosae biliosae putridae in primis viis haerentes, Cooper Milar Stoll.

4<sup>to</sup> Lactis metastasin. defendit Levret Sauvage van Svieten.

5<sup>to</sup> Inflammatio uteri, hanc sententiam defendit Burson Kirkland Brefeld.

6<sup>to</sup> Circulatio libera in abdomine impedita digestio labefactata, cum irritatione sub partu adaucta, sententia Rásky.

7<sup>mo</sup> Accumulatio sanguinis, lactis bilis puris in omento. Ossiander.

8<sup>vo</sup> Celeber. Huffeland quantitatem majorem lymphae in cavo abdominis accusat, quae nexa est cum atonia statu asthenico, et magna proclivitate in sepsim.

9<sup>no</sup> Recentioribus temporibus peritonitidem qua causam proximam plures medici asserunt, sed si perpendimus ea, quae John Davies de inflammatione dicit, nec Peritonitidem qua causam proximam febris puerp. asserere possumus. Inflammatio dicit cl. Davies non est effectus primarius potentiae nocentis, sed secundarius. Potentia enim nocens primo organon relate ad constitutionem turbat, quae turba functionem hujus organi laedit, quibus omnibus major affluxus sanguinis et symptomata inflammationis producuntur. Inde autem non sequitur, omnem potentiam nocentem, qua causam considerandam esse, quam inflammatio necessario excipere debet, sed ubi haec adest, modo superius memorato oritur. Potest quidem in casibus individualibus laesionem mechanicam partu difficili in peritoneo inductam f. p. sequi; sed in febre puerp. epidemica, nulla videtur potentia mechanica eam produxisse, cum partum tam facili, quam difficili modo peractum excipiat

Si causae morbum excitantes spectentur, si praeter ea resultata ex sectionibus cadaverum deducta in computum vocentur, omnino videtur essentia morbi in inflammatione visceris cujusdam abdominalis haerere; sed haec inflammatio est tantum effectus causae proximae febrim puerperalem producentis, nequaquam causa illius proxima; et certe si hanc invenerimus, nobis et illa morbi analogi hydrocephali acuti, patebit.

Est certe aliquid, quod si adest sub omnibus circumstantiis febrim puerperalem producere valet; nam videmus febrim puerperalem saepe oriri, ubi causae excitantes, et disponentes non adeo eminentes erant; e contrario saepe causae sic dictae remotae in magno gradu adsunt, quin f. p. evolvatur; in quo istud aliquid vel secundum celeb. Siebald ista „*Conditio sine qua non*“ constet, nobis in hoc, sicuti in pluribus morbis dynamicis notum non est.

### P r o g n o s i s .

Febris puerperalis ad morbos pertinet periculosissimos, medicum itaque exitum praesagientem cautum sit oportet. Morbus quidem mitior, simplex, non raro per autocratiam naturae solam sanatur, die morbi 7<sup>mo</sup> 14<sup>o</sup> 21<sup>o</sup> symptomatibus decreascentibus, crises per sudorem universalem, alvum reversionem lochiorum ac lactis contingunt. Saepe symptomata febris evanescent quidem, sanitas tamen integra non revertitur; sed diversae functionum perturbationes, ut: sensuum externorum obfuscationes, melancholiae, vesaniae, dolores articuloꝝ; diarrhoea profusa, dispnoea, phthisis, convulsiones remanent. Non raro morbus ita malignus est, ut puerperam die morbi 3. 4. 5. 7. 14. enecet; imo integrae epidemiae notatae sunt, in quibus nulla puerpera salvari poterat. Mali est ominis, si morbus cito post partum evolvatur si puerpera sit valde debilis, habitus nervosi; si gravida multis oppressa erat curis. Relate ad topicas affectiones periculum auget, inflammatio visceris cujusdam nobilioris, uti: uteri, cordis, encephali. Quo magis aegrae facies alienatur; quo minor, frequentior, debilior, pulsus evadit, eo prognosis infaustior, anxietas nimia, visus illusiones, sudores et alvi evacuationes colliquativae, ominis sunt pessimi. Deficientibus Symptomatibus gravioribus, aut iisdem decreascentibus, bonus sperari licet exitus.

### T h e r a p i a .

Tribus absolvitur indicationibus.

1<sup>mo</sup>-Causae occasionales sunt amovendae, vel in suis progressibus impediendae; hinc gravidae suadendum, ne

diaeta nimis nutriente utatur, vitam otiosam affectus deprimentes ut fugiat, praeterea de alvi evacuationibus ut sit sollicita. Parturienti doloribus ad partum se insinuantibus, nimia adstrictio est interdicenda. Puerperae diaeta debita est coordinanda, animi pathemata sunt dissuadenda, simul admonenda est, ut refrigerium frequentem morbi causam excitantem evitare conetur. Si autem causa excitante non impedita morbus evolvatur, tunc

2<sup>do</sup> Febris secundum characterem est tractanda, et omni possibili modo exsudatio lymphae impedienda.

3<sup>io</sup> Inflammationum topicarum ratio summa est habenda.

Constitutio epidemica, causa excitans et aegrae individualitas determinant morbi characterem, secundum quem tractamen morbi modificandum est. Sic constitutione epidemica gastricismo favente, emetica prudenter adhibita non raro votis respondent.

Ubi vero individuuum adest plethoricum, causa excitans, geniusque epidemiae regnantis phlogosi favens, methodus antiphlogistica prae ceteris in usum est vocanda. Hinc initio causis excitantibus fugatis, decocta emollientia (alvo simul obstipa cum Manna), temperatura moderata, diaeta restricta comendari debent.

Sensibilitate excessiva Extractum Hyosциани aqua Lauro cerasi adhibenda sunt. Clismata emollientia, ac cataplasmata topice adhibita, utilitatis sunt sunnuae.

Ubi vero gradus inflammationis major dolore topico vehementiori, febris validiore, facie turgida, oculis splendentibus, pulsu duro suppresso se manifestans apprehenditur, ibi methodus antiphlogistica generosior indicata est. Hinc sanguinis evacuationes universales, iisque non sufficientibus topicae, institui debent. Iustus nitrum in emulsione decocto emollienti propinetur. Dieta sit strictissima.

Saepe hoc tractamine morbi vehementia frangitur, nonnunquam autem symptomata exsudationis inchoantis vel jam locum habentis adsunt, tunc remedium praestantissimum in Calomela possidemus. Hoc remedio resorptio languens erigitur, et exudationi limes ponitur, quod majori dosi porrectum in puerpera non tam facile Ptyalismum provocat.

Pro repetenda sanguinis missione loquuntur: dolor in abdomine vehemens perdurans, febris valida, pulsus

suppressus duriusculus, et crustae inflammatoriae crassioris praesentia. Vehementia morbi fracta sinapismi, vesicantia cum utilitate adhibentur.

Sanguinis evacuationibus justo tempore neglectis ut plurimum febris nervosa semet evolvere incipit, qua jam evoluta inflammatio latens cujusdam visceris locum habere potest celeriter decurrens. Quo statu praesente, pulsus parvus irregularis, facies collapsa, temperatura depressa, cutis viscida, dolores in abdomine perdurantes, debilitasque systematis nervosi deprehenduntur. His sub circumstantiis activitas systematis vasorum incitanda est huicque indicationi respondent. Diaphoretica, pulveres puerperales Boerii antimonialia tenentes, Sal ammoniacus cum vino stibiato, Tartarus emetic. Spiritus Mindereri, Camphora, quod ultimum remedium in asthenia systematis sanguiferi ex turgore vitali imminuto cognoscenda, princeps deprehenditur. Sanguis enim sub hoc rerum statu inaequaliter est distributus atque in visceribus abdominalibus stagnat, quem Camphora in usum vocata aequabiliter distribuit, et n. r. crisin per cutim provocat. Cuti sicca in transpirationem non prona lotiones tepidae cum aqua in facie extremitatibus sunt instituendae.

Angli in f. p. commendant oleum Terebinthinae, quod tantum sub circumstantiis memoratis in usum vocari licet. Cautè tamen est adhibendum, est enim remedium heroicum impetuose in diaphoresim ac diuresim agens, quod, ubi indicatum est, eo praestantiorè praestabit effectum, quo majorem in vasa lymphatica actionem exerit. Saepe sub decursu ulteriori morbi, symptomata obtinent, aegram et adstantes terrefacientia, uti: spasmi vomitus, anxietas, quae secundum principia Therapiae specialis tractanda sunt.

## Theses defendendae.

---

1) Natura febris puerperalis hucdum parum nota est.

2) Languente vitalitate stimulus novus vitalem energiam concitat.

3) In contusionibus cranii et laesionibus meningum si 7. v. 11. die gravis supervenit ophthalmia, signum est mortis imminentis.

4) Post febrim intermittentem saepe sanitas melior obtinet, quam ante febrim fuit.

5) Caecus est medicus practicus absque Theoria.

6) Sudorifera in Rheumatismo saepe superflua.

7) Morbi ad qualitatem vel harmoniam functionum alienatam spectantes, non raro debilitati spuriae adtribuuntur, sicque infelicissime curantur.

8) Martialia irritabilitatem exaltant.

9) Chlorosis pharmacis multis rebellis, saepe psychicis cedit.

10) Ex aëre saepe vitae loco mortem inspiramus.

---